



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 1. De praeparatione ante Officium

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

CAPUT III.

DE OFFICII DIVINI RECITATIONE.

§. I. De Preparatione ante Officium.

N I H I L magis necessarium Religioso, quam ut attentè, devotè, & reverenter divinum Officium persolvat; de qua re hic breviter agendum est. Incipio autem à proxima preparatione, quæ nocturnis vigiliis tota præmitti debet, ante reliqua verò officia post redditas Deo gratias, quod te incolumem usque ad eam horam custodierit, ea tantum meditaberis, quæ à puncto quarto & deinceps descripta sunt.

1. Nocturno tempore audito signo quo ad vigiliis excitaris, quod à sancto Dorotheo Angelicum nuncupatur; considera illam esse vocem Dilecti pulsan- & dicentis: *Aperi mihi soror mea sponsa*: statimque surgens præpara illi habitaculum cordis tui, ne si fortè moram feceris in surgendo, ille declinet à te, & animam tuam aridam & desolatam relinquat. Dic ergo illi cum S. Job; *Vocabis me Domine, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram*: Et cum Psalmographo: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam: exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara, exurgam diluculo*. Quod si timore magis quam amore afficeris; excipe signum illud tanquam tubam illam terribilem, quæ extrema judicii die in auribus omnium horrendum illud personabit, *Surgite mortui, venite ad judicium*. Ideoque statim cum festinatione è cubili profiliens, Deique timore concepto, dic: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? extunc ira tua*. His, & aliis hujusmodi affectibus mentem diligentissimè occupabis, ut primitiæ cogitationum diem festum agant Deo.

11. Excitatus à somno considera te in medio laqueorum

esse, quibus invisibiles hostes te ex omni parte irretire conantur: quapropter signo Crucis munitus orationis arma assume, & ignitis aspirationibus ad Dei laudes te excita, de qua re vide quæ supra notavi §. I. cap. I. Dum verò hæc agis, torporem & somnolentiam viriliter excute, elevatis manibus, flexis genibus, expansis brachiis, vel alia simili corporali exercitatione.

III. Quia nihil coinquinatum intrat ad Deum, & bestia quæ tetigerit montem lapidabitur, examina post hæc conscientiam tuam, & si quid culpæ in ea inveneris, plange coram Domino delictum tuum; & si nihil tibi conscius es, cave elationem, & dic cum Propheta: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Tum actum contritionis elice, *Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

IV. Viva fide apprehende te versari in oculis Dei, Domini infinitæ majestatis, benefactoris infinitæ liberalitatis, judicis infinitæ justitiæ, patris infinitæ benignitatis, sponsi infinitæ amabilitatis, & propone nullas admittere mentis evagationes.

V. Actum simplicissimæ ac purissimæ intentionis ferventer exerce: omnes cogitationes, verba, & opera tua offer Deo ad honorem, & gloriam ejus, & te perfectè resigna in omne beneplacitum ipsius. Officium verò recitare propone, ut Deum colas & laudes: ut eidem gratias agas pro innumeris beneficiis: ut ei placeas, & gratum exhibeas sacrificium: ut supremam ejus excellentiam & tuam subjectionem protesteris: ut iratum eum mitiges: ut pro peccatis tuis satisfacias: ut Ecclesiæ præceptum adimpleas: ut omnia tibi, & fratribus tuis, vivis & defunctis necessaria impetres: ut virtutum augmentum obtineas: ut tuæ voluntatis cum divina unionem impetrare quandoque valeas. Tum statue cum magna reverentia, attentione, & devotione totum officium persolvere in unione illius reverentiæ, attentionis, & devotio-

nis, qua Iesus Christus Dominus noster orabat in terris. In honorem quoque beatæ Virginis, & omnium Sancto-
rum, eorum præsertim, quorum festivitas ea die celebra-
tur: & in memoriam eorum mysteriorum, propter quæ
illud officium est institutum.

V I. Audito ultimo signo puta astare tibi Angelos cla-
mantes, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*: atque illico
affectionum tuarum aptatis lampadibus curre in locum
tabernaculi admirabilis usque in domum Dei. Dic cum
sanctis Regibus, *Hoc signum magni Regis est, eamus, &
inquiramus eum, & offeramus ei munera, sacrificium
pingue, & holocaustum medullatum*. Considera quàm
magnum opus sit Deum laudare, ante cuius conspectum
virtutes cælorum contremiscunt. Et quis es tu, pulvis &
cinis, ut loquaris ad Dominum tuum? Humiliare itaque,
& relictis in ingressu chori cunctis terrenis cogitationi-
bus ingredi domum Dei, & dic: *Introibo in domum
tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor
nomini tuo*. Deinde adora sanctissimum Sacramentum,
& Sanctos, quorum altaria & reliquiæ ibi sunt. Si tran-
sis per cæmeterium, ora pro fidelibus defunctis, & dic:
*Salvete Christi fideles animæ, quæ hic & ubique requiesci-
tis; Iesus, qui pro vobis passus, est, vos consoletur, & re-
quiem vobis æternam donare dignetur per intercessionem B.
Marie, & omnium Sanctorum, quam adeptæ memores mei
estote. Amen.*

V II. Cum perveneris in chorum, considera universa-
lem Ecclesiam, unam eandemque esse, & quæ in cælis
coronata triumphat, & quæ adhuc in terris militans sus-
pirat ad patriam. In ea omnes creaturæ pro modulo suo
Deum collaudant, Angeli, homines, bestia, & universa
pecora, volucres cæli, pisces maris. Latere igitur, quod
sic ab hominibus glorificetur Deus, & desidera omnium
Justorum omniumque Beatorum, & Angelorum fervo-
rem & charitatem habere. Divinum denique auxilium
implora, ut ipse qui solus potest, tumultuantium cogita-

tionum & affectionum comprimat turbam, insidiantes
coerceat dæmones, intellectum illuminet, inflammet af-
fectum, & omnia interiora atque exteriora tua sub cer-
tæ compositionis disciplina moderetur.

§. II. *Oratio ante Officium.*

GRatias tibi ago Domine sancte, Pater omnipotens, æ-
terne Deus, ob innumerabilia beneficia tua, præ-
sertim verò quia usque ad hanc horam; me custodire
& à multis periculis misericorditer præservare dignatus
es. Insuper elegisti me in sortem tuam, ut ministrarem
in templo tuo, tibi que laudes canerem die ac nocte.
Ego autem tanto benefactori ingratus in terra Sancto-
rum iniqua gessi, & delicta mea creverunt usque ad cæ-
lum. Ideo percutio pectus meum, & procumbens humi-
liter ante thronum majestatis tuæ, infinitam clementiam
tuam deprecor, ut facias cum me indignissimo seruo tuo
secundum multitudinem misericordiæ tuæ, quoniam cor-
ruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Ne
derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.
Non enim mortui laudabunt te, neque narrabunt mise-
ricordiam tuam qui descendunt in infernum, sed vivens,
vivens confitebitur tibi, sicut & ego hodie, & psallam
nomini tuo quandiu fuero. Obsecro igitur, ne me can-
tantem laudes tuas projicias à facie tua, sed propter tuam
bonitatem, & inexplicabilem perfectionem, per Jesu
Christi Salvatoris nostri Incarnationem, vitam, & pas-
sionem: per beatæ Mariæ semper Virginis, Spirituum
beatorum, omniumque Sanctorum merita & interces-
sionem sanctifica me, & emunda ab omni inquinamen-
to mentis & corporis: da sermonem rectum & bene-
sonantem in os meum, ut placeant verba mea in conspe-
ctu tuo: excita me ab omni torpore, & pigritia: expugna
impugnantes me, & comprime impetum inimicorum. Fac
mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, &
confundantur: sensus externos sub omni disciplina &